A ut aliquod cœnobium suo rectore careret: adeò ut habendi aviditate captus, in publica etiam auctione passim ea vectigalia venire pateretur. Reges qui successerunt, Ruffi institutum secuti, consueverunt tam Episcoparium vacantium, quàm cœnobiorum, quæ majores eorum condidissent, vectigal unius anni capere: estque ejusmodi consuetudo ita deinde rata habita, ut etiam nunc regibus fas sit, vectigal quoddam capere ex cœnobiis vacantibus. Per idem jus ipsis regibus licet, & Episcopatuum vacantium prædia recipere, ac fructus in sex menses, vel in integrum annum debitos capere, aut ab illis, quibus ea facerdotia dantur, exigere: quemadmodùm interea, dum vacant, primus provinciæ antistes in Episcopatibus ipsis jurisdictionem habet, & quicquid emolumenti inde est, ei cedit. *Polyd. l.10.*

Roberto Lincolniensi antistite mortuo, Episcopatus Lincolniensis decem & septem vacavit annos, Henrico II. Anglorum rege interim illius vectigalia capiente, exemplo post homines natos pessimo. *Polyd. l.13.*

Moerkerke civis Lubecensis, quum in prædiis militarium de Bœckvuelde reditus coemisset, & retardatam solutionem ipse sua auctoritate pignorationibus extorqueret: indignati prædiorum domini, tormentis eum propè exanimavere. Ex amicis nonnulli fidem interposuere, vivum aut mortuum se reddituros, ut in sua domo recrearetur. Ille ex vulneribus & injuriis multiplicibus contabescens, quum dies propinquaret reditus, spiritum efflavit. Amici itaque mortuum retulere. Militares in mortuum sævierunt: defectum caput palo infixerunt. Lubecenses privatum latrocinium ulturi, vastarunt Bœckvueldensium prædia. *Crantz. l.8. Vandal. c.39.*

B

Dotem.

Hipponicum alii, alii filium ejus Calliam despondisse Alcibiadi Hipparetem tradunt, addita dote decem talentorum. Deinde cùm peperisset, altera insuper decem Alcibiadem extorsisse: quasi ita conventisset, si nati essent liberi. Callias verò insidias metuens, hæredem eum coram populo ex asse, si ipse decessisset sine liberis, nuncupavit. *Plut. in ejus vita.*

Cæsar Caligula filia nata, paupertatem, nec jam imperatoria modò, sed & patria conquetens onera, collationes in alimoniam, atque dotem puellæ recepit. Edixit & strenas inC eunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Calen. Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. *Suet.*

Hæreditatem.

Chaticles & Antiochus Opunicii, in dividenda hæreditate paterna, patera argentea concisa, vesteque dissecta, abripuerunt se, quasi ex devotione aliqua tragica, domum acutis ensibus partiti. *Plut. de pietate erga fratres.*

Fannius quidam (non ille Lælii gener historicus) ante Virgilium, poeta ineptus, sed garrulus & locuples, cùm sine liberis esset: Hæredipetæ carmina ejus laudabant, & in bibliothecas transferebant, statuas quoque, & imagines ponebant, ut scilicet ab eo hæredes scribterentur. *Gyrald. dialogo 4. hist. Poet.*

Cum admodùm locupleti L. Minutio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subjecisset, ejusdemque confirmandi gratia potentissimos civitatis Romanę viros, M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset: quamquam evidens fraus erat, tamen uterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non D repudiavit. Quantam culpam quàm leviter retuli? lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura invitati, auctoritatibus suis texerunt. *Val. l.9. c.4.*

Cajus Caligula Cæs. si quos provectioris ætatis vivere patiebatur, eos patres & avos, & matres & avias appellando, tum viventium adhuc bonis fruebatur, tum defunctorum hæreditatem cernebat. *Zonar.*

Ad Bithynicum, *Martial. Epigram. l.2.*

Quòd querulum spirat, quòd acerbum Nævia tussit,
Inque suos mittit sputa subinde sinus,
Jam te rem factam, Bithynice, credis habere.
Erras: blanditur Nævia, non moritur.

De Matone, *Martial. Epigram. l.12.*

Prosene, sed caro, votum Maro fecit amicos,
Cui gravis & fervens hemitritæus erat:
Si Stygias ager non esset missus ad undas,
Vt caderet magno victima grata Jovi.
Caperunt certam medici spondere salutem:
Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

Paulus II. Cardinalis adhuc, curabat, ut uni sibi magis E quàm alteri ægrotantium testamenta committerentur, quæ posteà ex arbitrio suo partiebatur: & si quid inerat, quod ad rem suam pertineret, facto tamen sub hasta precio, id sibi pecunia vindicabat. *Platina.*

Fœnus, Usuram.

☞ *Exempla quædam è Tit. Perfidia fœneratorum peti possunt.*

Menippus Phœnix Cynicus, ἡμερομισθωτὸς fuit; namque usura nautica fœnerabatur, & ut plus lucri conquireret, pecunias ab aliis mutuò solebat accipere. Tandem ex insidiis omnibus privatus, seipsum laqueo suffocavit. *Laert. l.6.*

Zeno Citticus, cùm Athenas veniret, plusquam mille talenta habuit, iisque fœnerari solitus fuit. Dedit posteà operam philosophiæ. *Laert. l.7.*

Charicles nomen est fœnetatoris *apud Plut. in Phocione.*

Rutilius Romæ compellans Musonium: Jupiter servator, inquit, Musoni, quem tu sectaris & æmularis, pecuniam fœnebrem non sumit. Cui Musonius arridens: Nec fœnebrem, inquit, dat. Rutilius, qui fœnus ipse exercebat, exprobrabat ei, quòd æs alienum contraheret. *Plut. de non fœnerando.* F

Notus est ex Horatio Fusidius dives positis in fœnore nummis, ut etiam

——— *fœnerator* ALPHIVS,

Omnem redigit idibus pecuniam.

Julius Capitolinus scribit, M. Antonium pium Imp. fœnus trientarium exercuisse, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret.

Florentinum fœneratorem senem accessit sacrificus, mutui causa, crucem argenteam, cui inclusa erat portio lignea crucis, pignoris loco offerens. At ille, Ab hoc peccato jam per ætatem destiti, inquit. Abi autem ad filium meum: is quia juvenis est, & animæ parvam curam habet, tibi morem geret; simulque puerum adjungit ductorem. Cùm jam abissent, puerum revocat scelestus ille: &, Dic, ait, filio, ut meminerit deducere de precio ligni pondus, vilius argento lignum Dominicum æstimans. *Poggius in Facetiis.*

Munus, Donum.

Midas Phrygiæ Rex, Gordii filius, omnium regum suæ tempestatis fuit ditissimus. Fabulantur, ad hunc aliquando Silenum, cùm iter facere cum Baccho ebrius non posset, G adductum fuisse: quem ille perhumaniter tractavit. Bacchus cognita illius humanitate, ipse etiam hospes ad Midam profiscitur. A quo benignè acceptus, illi propositum, ut quicquid vellet, expeteret. Midas expetivit, ut quidquid contingeret, continuò aurum fieret. Cùm autem cibaria etiam, quibus vescebatur, contacta repentè fierent aurea, deum deprecatus infaustum donum, se lavit, & liberatus est. *Nat. Com. l.9. c.15. Mythol. ex Ovid. 11. Metam.*

Condalo, Mausoli Cariæ regis præfecto regionem peragranti, si quis ovem, aut vitulum attulisset, danti imperabat, ut domum referret, & nutriret. Longo demum post tempore ipsum repetebat, & si quid inde foret natum emolumenti. *Arist. in Oecon.*

Cambyses Persarum Rex, subacta Ægypto, munera, quæ ab Afris venere, perbenignè accepit: quæ autem à Cyrenæis, succensens, quòd exigua erant (quingentas enim minas argenti miserant) sua manu disperfit in milites. Eo namque tempore nullum adhuc tributum imperabatur, sed muneta tantùm à volentibus mittebantur. *Herod. lib. 3.* H

Alcmæon Megaclis F. qui primus Alcmæonidum Athenis illustravit familiam, consueverat spontè sua regis Crœsi legatos, qui Delphos cum donariis mittebantur, comiter accipere. Crœsus ergo cùm eum in Lydiam accersivisset, fecit illi potestatem, ut tantum auri ex suis thesauris sibi sumeret, quantum uno ferre posset complexu. Ille ergo prægrandem tunicam induit, eaque in sinum complicata, laxotibusque cothurnis calceatus, in acervum auri procumbens, cothurnos primò, inde sinum refersit: coma deinceps ramento obvoluta, faucibusque auro refertis, cuicumque rei similiot quàm homini processit. Eum Crœsus intuitus, hilari vultu cachinnoque ad se receptum, omnia habere permisit. *Sab. l.1. Enn.3. ex Her.*

Lysander, cùm misisset ei Dionysius stolas duas, jubens ut eam, quæ placuisset, caperet, ut filiæ ferret: Illam ipsam, ait, meliùs optaturam, acceptisque duabus abscessit. *Plut. in apoph.*

Galba, antequam imperaret. ☞ *Vide ante inter exempla avaritia in genere.*

Vespa-

A Vespasianus Imp. nunciantibus legatis decretam ei statuam haud mediocris summæ, continuò cavam manum ostendit, atque ut statim eam ponerent, hortatus est, eam fore statuæ balim dicens. *Suet.*

In Polycharmum, *Martial. Epigram. l.12.*

Ægrotas uno decies, aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycharme, nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota jam, Polycharme, semel.

In Clytum, *idem l.8. Epigram.*

Vt poscas Clyte munus, exigisque,
Vno nasceris ofties in anno:
Et solas puto tresve quatuorve
Non natalitias habes Calendas.
Sit vultus tibi lævior licebit
Tritis litoris aridi lapillis,
Sit moro coma nigrior caduco,
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modo lactis alligati:
Et talis tumor excitet papillas,
B *Quales crudaviro puella servat:*
Tu nobis, Clyte, jam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quod si ludis adhuc, semelque nasci
Vno jam tibi non fatesit in anno,
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Hadriano sophistæ miserat quidam pisces in disco argenteo, picturato auro. At ille delectatus vasculo, non remisit tantùm ei qui miserat, respondit: Facis quòd etiam pisces, quasi discus esset dono missus, pisces tantùm novitatis gratia additi. Quidam autem dicunt joco factum, ut castigaret discipuli vitium, qui sordidior esse dicebatur; nam eo admonito discum reddidit. *Philostr.*

Isaacius Angelus Imp. erat adeò mercatorio ingenio, tam inexplebili accipiendi fame flagrabat, ut non aurum & vestes duntaxat acciperet, sed & alia minuta, usque ad pepones, & cætera esculenta, & omnis generis poma. *Nicet. l.18.*

Quum esset D. Erasmus Rot. apud Coloniam Agrippinam C Senatus honoris gratia misit illi vinum in cantharis testaceis, quos repeti mos non est. Id admiratus, rogavit causa. Responsum est, olim vinum solere mitti cantharis argenteis. Hoc honoris cum esset habitum cuidam ex eorum numero, qui magnam nobilitatis partem existimant rapto vivere, postridie manè profectus est cum argenteis cantharis. Re comperta, misit ad illum Senatus, qui cantharos reposceret. At ille: Ultrò, inquit, dono dedistis, & ego gratias egi. Hoc casu admoniti, mutarunt consuetudinem. *Erasm. in Apoph.*

Multum.

Ædem Castoris P. Junius habuit tuendam. Is mortuus, reliquit pupillum filium. Cùm L. Octavius, & C. Aurelius Coss. ædes sacras locavissent, neque potuissent omnia sartatecta exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos & M. Cælius: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitum & judicatum non esset, ut C. Verres, & P. Cælius prætores cognoscerent & judicarent. Qua potestate permissa: Verres, qui semper palam ita dictitasset, pupillos & pupillas certissimam prædam esse prætoribus, optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. L. Rabonio ædem D Castoris tradi oportebat: is casu pupilli Junii tutor erat testamento patris: cum eo fine ullo intertrimento convenerat jam, quemadmodùm traderetur. Iste ad se Rabonium vocat: quærit, ecquid sit, quod à pupillo traditum non sit, quod exigi debeat. Cùm ille diceret, facilem pupillo traditionem esse, signa & dona comparere omnia, ipsum templum omnio opere esse integrum: indignum isti videri cœpit, ex tanta æde, tanto que opere se non opimum præda, præsertim à pupillo, discedere. Venit ipse in ædem Castoris: considerat templum, videt undique tectum pulcherimè laqueatum, præterea cætera nova atque integra: versat se: quærit, quid agat: dicit ei quidam ex illis canibus, quos circa se multos habebat: Tu Verres hic quod moliare, nihil habes, nisi fortè vis ad perpendiculum columnas exigere. Quærit, quid sit, Ad perpendiculum? Dicunt ei, ferè nullam esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit. Jam mehercule, inquit, sic agamus: columnæ ad perpendiculum exigantur. Rabonius qui legem nosset, qua in lege numerus tantùm columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret sibi expedire, ita accipere, ne eodem modo reddendum esset, negat id sibi deberi, negat oportere exigi. Iste E Rabonium quiescere jubet, & simul ei nonnullam spem societatis ostendit: hominem modestum, & minimè pertinacem facilè coercet: columnas ita se exacturum esse confirmat. Veniunt ad Verrem amici, & tutores pupilli petunt ab eo, ne per summam injuriam pupillum Junium fortunis patris conetur evertere: petunt à Chelidone merettice (quæ isto prætore, non modò in jure civili, privatorumque omnium controversiis, pop. Rom. præfuit, verùm etiam in his sartis tectis dampata est) sed nihil impetrant. Cùm Rabonio tutore, quod erat vix H-S. quadraginta millium, transegere ducentis millibus. *Cic. l.3. in Verrem.*

Ab Hentico I. Anglorum rege excogitarum fuit, ut illi agrorum possessione regi cederent, qui iis ejus damas cervosve cepissent, adeò venatio id temporis quæstuosa erat. *Pol. l.12.*

☞ *Consule Tit. de Acquisitione, ubi multa hinc desumpta, & ad hunc locum spectantia.*

Avaritia φιλαργυρία. Avara Conservatio.

Tenacitas in Conservando.

Avaritia ἐν δαμάτι & δόσει huc referri potest, quatenus aliis F non dat, ut sibi suisve opes conservet. Diverso respectu, diversis locis inservient eadem.

Qui. Verbi causa morientes.

De Hermocrate *Lucillius in 4. Epigr. Græc.*

Θνήσκων Ἑρμοκράτης ὁ φιλάργυρος, οὐ διαδίδωσι
Αὐτὸν οὔτ' ἰδίων ἔγκαλα κληρονόμων.
Ψηφίζων ἀσκεῖτο σοφὸν δόσει διεγρήσις
Ἐπηρεῖ μεῖδε, τί νοσῶν ἅπαπτε.
Εἰ δ' εὗρε πλείω φαγμιὼ μίαν ὧν διαπωθῇ,
Λυσπτελεῖ ἀπίσκαιν, ἅπτε, τὸ ἐξετάσθη.
Κεῖνο δ' γ' ὀδὼν ἔχων ἐβολῆ πλέον. οἱ δ' τάκεινο
Χρήματα κληρονόμοι ἥρπαζαν ἅπασαν.

Chrysippus in libro de iis, Quæ per se non expetenda sunt, scribit, Avarum quendam, cùm in extremis laboraret, multos aureos nummos degluisse, deinde mortuum esse. Atque alium sago aurum insuisse, coque se induisse, susque mandasse, ut se ita indutum sepelirent, neque urerent, aut cultum quempiam adderent. *Ath. l.4. c.18.*

Cùm ægrotaret Ant. Urceus Codrus Grammaticus, & arcæ numariæ clavem nocte clam surreptam è pulvinari ani- G madverteret: in tantam incidit animi angustiam, ut duobus diebus continuis, antequam animam efflaret, nihil fermè aliud vociferaretur, quàm ut scrinii clavem sibi darent. *Barthol. Bononiens. in ejus vita.*

Fuit ætate nostra Avarus (inquit *Poggius in disceptat. de avaritia*) qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim numis aureis plenam, opem subsidiumque vitæ ab eis oras, quos tamdiu velut animam servasset, subinde murmurans, Eheu quibus vos relinquam!

Periclitantes.

Perseus ultimus Macedonum Rex, à populo Æmilio superatus, cùm Cretensium præsidio in tuta se loca recepisset, pollicitus, se pecuniam daturum: vasa quæ illis pignoris loco dederat, recepit, & cum vasis pecuniam quoque retinuit. *Plut. in Paulo.*

Cn. Pompei facilitate Tigranes Armeniæ Rex in gratiam receptus, pax dicta, ut injuriarum illatarum multam sex millia talentum penderet, Sophenes regnum Filius haberet. Has conditiones Tigranes approbavit: at filius ægrè mlit vocatusque ad cœnam respondit, Facilè se carere Pompejo, H qui tales honores sibi haberet: nam alium se ex Romanis inventurum. Inde in vincula conjectus, atque ad triumphum ser vatus est. *Plut. in Pompejo.*

Ptolemæus Cyprorum Rex, cùm anxiis sordibus magnas opes acquisivisset, propterque eas peritrum se videret, & ideò omni pecunia imposita navibus in altum processisset, ut classe perforata suo arbitrio periret, & ut hostes præda carerent; non sustinuit mergere aurum & argentum, sed futurum suæ necis præmium domum revexit. *Vul. Max. l.2. c.4.*

Mahometes II. Turcus ann. 1461. Bosnæ Regem Stephanum cum primaria arce Laice in deditionem acceptum, contra fidem datam, ad palum alligavit, & sagittis confixit, exprobrans ei avaritiam, quòd cum argento & auro perire, quàm ad defendendum sese, & suos eo uti maluerit. *Crom. lib. 25.*

Meretrices.

Apud Plautum in Trinumo repositi amanti quæ dederat, respondet scortum: Nam itidem ut Acheronti hic ratio

A tio accepti scribitur. Intrò receptum, quando acceptum est, non potest ferri foras.

QUÆ CONSERVENT. UT FRUMENTUM.

Lambertus Statensis, frater Bertolfi præfecti ædis Donatiani, sub Carolo Dono, Flandriæ comite, permultorum annorum decimas in multos annos redemerat, pleraque horrea habebat. Cùm annonæ charitate ea egenis communicare nollet, jussu Comitis horrea ejus refracta, triticique vis ingens egentibus gratis dimensa. *Æmil.* 3.

VINUM.

Albericus sive Albicus, Archiepiscopus Praecensis, cellæ vinariæ claves nulli alteri, quàm sibiipsi credidit, & animalia viventia dono accepta mox vendidit. *Æn. Silv.* 35. & 42. *hist. Boem. & Bonfin. l.* 2. *Decad. & Dubr. l.* 23.

ALIMENTA.

B

Pausicape appellata fuit machinula, servorum collo ab avaris dominis circumpositа, orbicularisque, qua ori manus admovere prohibebantur, ne farinam vorarent (quod κάπτειν dicunt) intùs dum operarentur. Congruit id ipsum & jumentis. *Cel. l.* 25. *c.* 21. *A. L.*

Xenocratem tradunt sæpènumerò obsonia jam rancida facta abjecisse, neque rarenter evenisse, ut cum cadum aliquem relinire vellet, jam vinum reperiret in acorem versum. Inde Xenocratis caseolus in proverbium abiit.

Tiberius Cæs. diebus etiam solemnibus pridiana sæpè obsonia & semesa apposuit suis, & sibi quoque dari passus est. *Alex. l.* 5. *c.* 21. *ex Suet.*

Didius Julianus, Salvii Juliani jurisconsulti pronepos consul cum Pertinace, mox Imper. porcellum leporemve, ad se missum in triduanas partiebatur cœnas. *Herod.*

De Annio *Martial. Epigr. l.* 7.

Cum mensas habeat ferè ducentas,
Promensis habet Annius ministros,
Transcurrunt gabatæ, volantque lances,
C *Hæ vobis epulas habete lauti:*
Nos offendimus ambulante cœna.

In Nævium *Martial. Epigr. l.* 2. sic invehitur:

Dum non vis leporem, dum non vis carpere nullum,
Et plus quam patri, Nevia, parcis apro:
Accusas rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit: nunquam sic ego crudus ero.

In Rufum, *idem lib. eod.*

Ecce negas coctum leporem, poscisque flagella.
Mavis Rufe coquum scindere, quam leporem.

Joannes præfectus prætorio Belisarii, bello Vandalico nauticum panem, ne bis coctus pondere levior redderetur adhuc crudum, ad publici balnei fornacem assari fecerat, ne quid ponderi decederet. At vix Methonem pervenit, cùm panes dissolvi cepere; & militibus per modios distributi, gravissimos morbos invexere. *Procop. l.* 3.

THESAUROS.

Horat. l. 1. *Serm. satyra* 1. Tantali fabulam ingeniosè ad Davarum transfert, qui

——*congestis undique saxis*
Indormit inhians: & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

GEMMAS.

M. Antonius Triumvir, bello civili, Nonium senatorem proscripsit, uti gemma ejus Opalo, sestertiis xx. millibus æstimata, potiretur. Nonii non minor in conservando avaritia, qui fugiens, hunc è fortunis omnibus annulum abstulit secum: cùm castor vitæ redimendæ causa vesicam castoreo plenam suis ipse sibi amputet dentibus, ut hac veluti præda venatores à persequendo remoretur. *Plin. l.* 37. *c.* 8.

MANCIPIA.

Cato post cladem Pharsalicam, & alteram ad Thapsum cùm Uticæ omnes Romanos convocasset, & servos dominis manu mittentibus armate vellet, omnes senatorii ordinis servos extemplò manumissos armabant. At trecenti, navicularii scilicet & fœneratores, qui maximam facultatum partem habebant in servitiis, Catonem precati sunt, in cæ- E teris, ut opera sua uteretur, ac fideret ipsis: quod autem Catones non essent, neque animos caperent Catonis, ignoscere infirmitati suæ. Decrevisse se deprecari Cæsarem, atque legatos ad eum mittere: qui præcipuè pro ipso essent & primò deprecaturi. *Plut. in Cat.*

TRIBUTUM.

Onias Simonis Justi F. Pont. Hierosolymitanus, avarus, tributum, quod pro populo majores ejus de suo solebant regi Ptolemæo Evergeti pendere, talenta argenti xx. solvere renuit. Rex misso Hierosolymam legato minatus est, se regionem ejus militibus divisurum, & novas colonias eò deducturum. *Ioseph. l.* 12. *c.* 3. *Antiq.*

S. Canutus Danorum Rex, cùm summo studio contenderet, ut Christi ministris liberalius & commodius de decimis & primitiis provideretur, cujusdam Blaconis proditione à Danica plebe trucidatus fuit. Quo facto, summa penuria Daniam invasit. Nec priùs fœcunditas restituta est, quàm populus pœnitentiam ageret, quòd tam sanctum regem occidisset. *Ioan. Magnus lib.* 18. *c.* 13. F

QUOMODO CONSERVANTUR Opes vel PRÆSENTES, TUM *Recondendo.*

Eudio *apud Plautum* cum haberet aulum sive ollam pecunia refertam, & abditam terra, domum non audebat egredi, ne quis eam suffuraretur. Omnes qui ad eum ibitabant, habebat suspectos furti. Neque tantùm aurum & argentum, sed vilissima quæque, ut aquam, plorabat, quòd lavando eam effundere cogeretur. Denique unguium præsegmina è tonstrina domum referebat.

Basilius II. Imp. Roman. ingentem auri & gemmarum copiam undiq; ex ærariis corrasit, & omnibus promptuariis adimpletis, reliqua in subterraneis cuniculis tortuosis instar labyrinti effossis concidit. *Cuspinianus.*

Crasto Goslarienſis præpositus:

Vide infra Avaritiæ pœna Exemplo 2.

Devorando.

Judæi, Hierosolymis à Tito obsessi, aurum vorarunt, hinc ad hostes, urgente fame, transfugerunt. Romani mili- G
tes cùm fortè uno illorum trucidato aurum è vulnere abdominis profluere animadvertissent, arbitrati omnes devorasse pecuniam, duo hominum millia trucidarunt: resectisque eorum ventribus, aurum sunt scrutati. *Ioseph. & Egesip. de bello Iud.*

Deponendo apud alios.

Lacedæmonii, cùm ex lege prohiberentur Spartam aurum inferre, apud Arcades finitimos id deponebant. Ex quo accidit postea, ut illos hostes pro amicis haberint, ut prætextu inimicitiæ, suæ latebram quærerent avaritiæ. *Athen. lib.* 6. *c.* 4. *ex Possidonio.*

Denegando aliis.

☞ *Consule tit. Perfidia ex deposito.*

Ei qui pallium à Diogene repetebat, lepidissimè respondit Diogenes: Si donasti, habeo: si commodasti, utor: significans, sibi non esse in animo reddere, sive dono sive commodato accepisset. *Laert. lib.* 6.

Quo tempore Alexander Nearchum clam ad Oceanum parabat mittere, poposcit ab amicis argentum, quòd non esset in ærario. Ubi ab Eumene Cardiano postulavit trecenta talenta, & ille centum duntaxat obtulit, certis ministris occultè imperavit, ignem ut Eumenis tabernaculo subjicerent, quò in exportanda pecunia manifestè mendacem comperiret. Cum tabernaculum incendio haustum esset, pœnituit ejus Alexandram, quòd monumenta sua fuissent absumpta. Auri verò vel argenti, quod fuerat per flammam conflatum, erutum fuit plus mille talentis. *Plut. in Eumene.*

Cn. Pompejum in campis Pharsalicis à socero Scipione fuisse ferunt deceptum. Siquidem quo pecuniam is majore ex parte, quam deportaverat ex Asia, interverteret, & supprimeret, quasi deficiente stipendio, Pompejum incitavit ad maturandam pugnam. *Plut. in Pomp. & Agesil. comparat.*

Illudendo aliis.

Candiæ Dux apud Catalanos, habuit scrinia aureis argenteisque pro regionum diversitate numismatis referta, & quidem malleo cuneata, non avaritiæ modò, sed lusus ac contumeliæ gratia. Hospites enim, qui permulti ad eum divertebant, scisitabatur, Cujusnam generis pecunia indigerent? Respondentes, ejus generis, ut in quam quisque provinciam iter haberet: adducebat ad scrinia, & quantum vellent, capere

A pere jubebat; frustraque conantes capere, deridebat: & hos sibi de amicis jocos comparabat, novo genere dissimulandæ avaritiæ, jactandarumque opum, quod haud abs re divinitùs esset castigandum. Successit enim filius Alfonsus: qui dum mortuo Martino regnum Aragonum affectat, brevi exinanitis scriniis obæratus vixit, & ex iis nihil sibi, nisi curas mœroresque contraxit, ad extremum quoque, periciem, dum nimis improbè Ferdinandum regem jam declaratum negligit. *Vulla l.* 3. *Hist.*

Communionem prohibendo.

Fabas Ægyptias, neque priùs satas fuisse, testis est *Philarch.* neque si quis eas seminarit, in aliquo loco proveniſſe, quàm in Ægypto. Apud Thyramin tamen Thesprotiæ fluvium, qui est in Epiro, in palude quadam, Alexandri Pyrrhi regis tempotibus, per biennium fructum feraciter admodùm protulerunt, & creverunt. Alexandro postèa custodiam statuente, neque carpere solùm eos, qui cupiebant, prohibente, sed ad lacum etiam accedere, palus illa exsiccata est: nec fructum postèa ampliùs tulerunt, quamvis aquam locus habuerit. *Ath. l.* 3. *c.* 1.

B In Edepso aqua quædam frigida ex fonticulo scatens apparuit non procul à mari, quam ægri bibentes plurimùm invabantur: quare efficiebatur, ut multi ex longinquis regionibus illuc ad bibendum accederent. Cùm verò Duces Antigoni regis hanc parcius dispensare cœpissent, aliamque multùm differentem bibentibus dari juberent: fonticulus statim exaruit. *Idem.*

In Troade licebat volentibus Tragasæum salem capere. Ast ubi Lysimachus rex tributum imposuit, continuò evanuit. Cùm postèa locum ob admirationem immunem reliquisset, sal iterùm crevit. *Idem.*

Clàm subtrahendo.

Angelottus Fuscus, sordido genere natus, in accumulandis opibus adeò sordidus, ut noctu præsepia equorum accedens, avenam detraheret: à stabuli præfecto deprehensus, & tanquam ignotus, fustigatus est. *Garimb. l.* 6. *de vitis Pontific.*

Officium negligendo.

Perseus Macedonum rex in belli societatem contra Rom. Illyriorum regem Gentium spe ccc. talentorum pellexit, pecu- C
niamque legatis ejus annumeravit, & signare permisit iis. Ubi credidit tenere se, quæ poposcerat, Gentius, legatos Romanos, qui missi ad se erant, apprehensos conjecit in custodiam. Ibi Perseus nihil jam pecunia ratus ad concitandum in Romanos Gentium opus esse, eum ccc. illis talentis defraudavit. *Plut. in Æmil.*

Romanus quidam miles Luculli, amissa zona, omnibus sese periculis præda cupiditate obiecit, & castellum Mithridatus opulentissimum cepit. Ditatus inde, metu, ne denuò ea amitteret, ad omnia pericula subeunda cunctantior factus, urgenti Lucullo & ad majora animum addenti respondit (ut est apud *Horat. in Epist.*)

—— *quantumvis rusticus ibit,*
Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

Tiberius Cæs. spectaculis rarò interfuit, ne iis qui placiti essent, munera vel libertatem date cogeretur. *Suet.*

Constantinopolis urbs à Mahometo Turcorum tyranno capta, an. 1453. eruti Civium thesauri absconditi: quos si in communem usum vertissent, non triumphassset sceleratus victor de Christiano sanguine. *Cusp.*

D An. 1512. Mantuæ per legatos suos Julius II. Pp. Maximilianus I. Imp. & Aragoniæ rex Ferdinandus cum Venetis, Mediceos Florentiam reducere pacti sunt. Florentini, si parcitate, ut imminentia pericula postulabant, deposita, Cæsari petitam pecuniam dedissent, & proregem Neap. Raymundum Cardonam in summa necessitate constitutum aliqua auri summa juvissent, facilè hanc tempestatem evasissent. *Guicciar. l.* 11.

Vim inferendo.

Rostochientes portum à Bugislao Duce Volgastense loco valdè opportuno munitum vi evertere, ne portui urbis suæ aliquando incommodare, an. 1395. *Crant. l.* 6. *Vand. c.* 32.

Vitiis connivendo.

Byzantinum quendam Sapragoram memorant, cùm apud deformem uxorem suam adulterum offendisset, dixisse: Qui compedes miser Sapragora sunt dos? *Plut. de cupidit. divit.*

M. Antoninus Philolophus, cum Faustinam duxisset Antonii Pii filiam, non ausus est adulteram repudiare, ne de dote, hoc est, de Imperio, veniret in controversiam. *Lud. Viv. de Offic. mariti.*

Conscios necando. E

Fusis in Marathone Persis, ad Callix tæpiseti pedes Barbarus quidam, ex coma & fascia regem ratus, abjecit se. Cùm adorasset eum, & dexteram apprehendisset, magnum pondus auri ostendit in puteo quodam defossum. Ibi Callias autum abstulit, & hominem, ne prodereret rem aliis, interfecit. Hinc dictos ajunt à Comicis posteros ejus Laccopletos quasi ex puteo divites. *Plut. in Aristide.*

Famam negligendo.

Athenienſis quidam, *teste Horat. l.* 1. *ser. Sat.* 1.

Sordidus, ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi simul, ac nummos contemplor in arca.

Excusando.

In Paternum *Martial. l.* 12.

Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet, Paterne, rarus,
Largiris nihil, incubasque gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poetæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed causa, ut memoras, & ipse jactas, F
Dira filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rudesque queris,
Illudas quibus auferasque mentem?
Hunc semper vitio pater fuisti,
Recensendo. Numerando.

Ulysses dormiens à Pæacensibus exposit. in Ithaca, experrectus, munera, quæ ab Alcinoo & aliis acceperat, dinumerare cœpit, utrum quid desideraretur, quod secum nautæ abeuntes abstulissent. *Odyss. v.* Quòd si avaritia ductus ea dinumerat, detestandus est, ut qui magis de pecunia quàm de vita propria solicitus fuerit.

Anacharsis interrogante quodam, Ad quid argento Græci utuntur? Ad numerandum, dixisse fertur. *Ath. l.* 4. *c.* 18.

AMISSÆ, JACTURAM ILLATAM NON FERENDO.

☞ *Pusillanimitas ista, si opes spectes, quarum amissionem ægrè fert, hujus est loci. Sin verò ipsam diffidentiam, ex jactura oriundam, ad vitium in defectu fortitudinis referri potuerit.*

Gerasenorum in Galilæa detestanda fuit avaritia, qui propter acceptam cladem à dæmonibus duobus à Christo ejec- G
ctis, & porcos amissos, Christum à finibus suis excedere rogarunt, pluris facientes porcos, quàm homines, quorum innumeri à Christo quotidiè sanari potuissent. *Matth.* 8.

Gadareni similiter, cum Christus è dæmoniaco legionem dæmonum ejecisset, & ii permissu Domini bis mille porcos in lacum submersissent: eo damno turbati, Jesum è suis finibus excedere rogarunt. *Marc.* 5. *Luc.* 8.

Maria Magdalena Christi Domini pedes unguento nardino pretiosissimo unxit. Judas Iscariothes id indignè ferre, non quòd pauperum curam haberet (in quorum tamen usus pretium unguenti erogari potuisse dicebat) sed quia ex eo pretio ad se quoque aliquid utilitatis redundaturum speraverat. Etenim quæstor erat, & fur. *Io.* 12.

Quidam habentes puellam Pythonyssam, à qua Paulus ejecit dæmonium, videntes, quòd amiserant quæstum suum apprehenderunt Paulum Apostolum & Silam socium ejus, & duxerunt eos ad principes civitatis, accusantes eos, quòd civitatem turbarent, & mores illicitos nunciarent. Magistratus autem fecerunt eos virgis cædi & in carcere custodiri. *Act.* 16. H

De Hermone, Lucillus *apud Stob. ser.* 10.

Ποίησας ἀνεκτὸν οὐ θάνατος ὁ φιλάργυρος· Ἕρμων,
Ἐκ τεσσαράκοντα μόνον ταλάντων ἀπαγχόμενον.

Cum sumptus feciſſet in somnis avarus Hermon, præ nimio dolore seipsum suffocavit.

Quidam amisso quem deposuerat thesauro, semetipsum strangulavit. De eo sic Plato vel *Antipater in Epigram.*

Χρυσὸν ἀπὸρ, ὁ βροτὸν εὗρεν, ὁ δ' ὤλεσεν. ἓν δ' ὁ μὲν ὄρυξε,
Γῆ λαβε· ὁ δ' ὀχθήσας, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Aurum quidam invenit, alter perdidit. Quorum ille qui invenit, abjecit: qui verò non invenit, dirum sibi nexuit laqueum.

Perseus, Macedonum Rex, ad Pydnam prælio victus à L. Paulo, à suis omnibus desertus est: soli secuti sunt eum Cretenses, thesauro ejus velut favo affixi. Ex eo deprompsit ille autea & argentea vasa Cretensibus diripienda, ad L. talentorum pretium. Cum verò Alepsum pervenisset (Livius habet Calipsum) remisso paulatim timore, lamentatus apud amicos est, ex Magni Alexandri aureis vasis quædam se Cre-

A tensibus imprudentem objeciſſe: præcatuique ſupplex & lacrymabundus illos, ut ea ſibi permutarent pecunia. Quibus acceptis, non ſolvit argentum, ſed quæſtu triginta talentorum ab amicis facto, navigavit Samothraciam, atque ibi captus eſt. *Plut. in Æmil.*

Angelus Raus J. C. Neapolitanus, dolore lucri averſi palla lignea ſe ab ancilla verberari præcepit, gravi pœna, ni obtemperaſſet, ei propoſita. Pecuniam enim, quòd argentea non eſſet, repudians, clientem acerbiùs objurgatum pro ea mutanda dimiſit. Ille indignè id ferens, ſtatim eum adverſatio pactus liti ceſſit, neque ad advocatum rediit. *Pont. c.7. de Liberal.*

Fr. Armellinus Peruſinus, Cardinalis avariſſimus, cum Clemente VII. ex arce S. Angeli, in qua obſidebatur, opes ſuas à Cæſarianis militibus diripi ſpectaret, præ mœrore obiit, eorum quæ militum furori ſuperfuerant, Pontifice hærede exiſtente. *Garimbert. lib. 6.*

* AVARITIÆ POENA.

Cum Joannes ſedem Hieroſolymitanam adminiſtraret, animo ſimul cum honoribus permutato, avaritia cæcus, im-
B menſas Domini divitias cumulavit, nec poterat illa auri fames ulla ſatietate expleri. Quod ut intellexit Epiphanius, conatus eſt eum ad benignè pauperibus faciendum allicere. At is aurum ſuum quovis charitatis officio præferebat, neque ullam pauperum curam habebat. Tum Epiphanius callidè per ſpeccm i mutui argenti pondus circiter mille quingentarũ libr. extorſit, potiùs quàm impetravit, totumq; illud magna hilaritate egenis diſtribuit. Interjectis autem diebus aliquot, Joannes importunus exactor argentum repetit: Epiphanius autem leniter & placidè ſe redditurum promiſit. At ille inſtare & urgere, & vim inferre & virum ſanctum impoſtorem appellare cœpit, & multis eum injuriis afficere nõ deſtitit. Epiphanius autẽ nihil cõmotus eſt. Tũ is in faciẽ ejus expuit, & ſtatim cęcitate percuſſus, pronus in terram ſceleris ſui veniam poſtulavit. Tum Epiphanius, quanto ſe crimine obſtrinxiſſet, docuit, & impoſitis capiti manibus dextero oculo lumen reſtituit. Oravit autem Joannes & pro ſiniſtro, cui tamen ſanitas reſtituta non eſt, ut eo ſigno admonitus modeſtiam deinde contervaret, & avaritiæ peſtem cautiùs ſubterfugeret. *D. Auroilius in Catech. hiſt. tom.3.*

C Quàm verò Deus juſtus judex pro cujuſque fide meritis digna perſolvat, quàmque terribilis ſit in conſiliis ſuper filios hominum, hoc eodem anno, dito ſanè valdè demonſtravit exemplo, cũ in ultionem Epiſcopi avariſſimi dæmones carnifices præparavit. Rem geſtam idem *Lambert.* ſic narrat: Reginherus Miſnenſis Epiſc. obiit. Is dum ſuſcepto Epiſcopatu Goslariam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimis amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululum requieſcere volens, ſeſe inclu-
ſit. Cumque jam die urgente in veſperam præter modum conſuetudinemque ſuam ſomno indulgere videretur: rem inſolitam mirantes cubicularii, pulſare oſtium cœperunt, ſed nec pulſantibus, nec vociferantibus ullum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro, examinem ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem. *Lambert. Schaffnabur. apud Baron. tom. 11. an. D.1607. 13.*

An. D. 983. perturbante Ethelredo Rege Anglorum Roſſenſem Eccleſiam, ſuo maximo damno pro redemptione pacis ab ejus Epiſcopo argentum accepit, comminante illi
D & prædicente S. Dunſtano ventura mala. Quomodò res ſe habet, ita ex antiquis Cronographis deſcripta legitur: Anno gratiæ 983. ſurrexit inter Regem Etheledum & Roffenſem Epiſc. contentio, ſed qua cauſa, habetur incertum. Quocirca contra Roffenſium civitatem obſidionem componens eam debellare diſpoſuit. Mandavit Regi B. Dunſtanus Archiep. Cantuar. ut deſiſteret ab inceptis, ne S. Andream illius civitatis patronum irritaret: Sed nec propter beati viri admonitionem Rex diſcedere voluit, priuſquam ab Epiſcopo centum libras accepit. Miratus S. Dunſtanus Regis cupiditatem, hæc per ſuos Regi nunciavit: Quia prætuliſti argentum Deo, pecuniam Apoſtolo, cupiditatem mihi, violenter venient ſuper te mala, quæ locutus eſt Dominus; ſed hæc me vivente non fient. Jam verò poſt beati viri obitum, ut ipſe prædixerat, Danis omnes portus regni intrantibus, dum neſciretur, ubi eis occurri deberet, decretum eſt à viris prudentibus, ut vincerentur argento, qui non poterant ferro. Itaque 10. millia librarum ſoluta Danorum avaritiam expleverunt, ut B. Dunſtani vaticinium impleretur. *Mat. Weſtmonaſt. in hiſt. A.983. apud Bar. t.10. 983. 25.*

Opportunè adjiciendum, quod de Alarico Gothorum Du-E ce ſcribit Paul. Diac. Is dum jam trajicere in Siciliam exercitum fruſtra tentaret, & inopinatas ſe poſſidere divitias gloriaretur, apud Conſentiæ regionem ſubita morte defungitur. Gothi verò protinùs Buſentium amnem à ſuo alveo per alium tramitem captivorum labore deflectunt: ſicque Alaricum cum multis opibus in eodem alveo aqua deficiente ſepelunt; rurſumque fluvium proprio meatui juxta conſuetudinem reddunt: ac ne quis addiſcere locum poſſet, captivos omnes, qui interfuerant, extinxerunt. *Paul. Diac. l.13. hiſt. Miſcell. apud Bar. 411. & Petr. Dam. apud eundem 1062.*

A.1198. Richardus Rex Ang. audiẽs, quendã militẽ Lemovicẽſis diœceſ. in ſuo caſtro theſaurũ magnũ reperiſſe, cupiẽs theſaurũ habere, dictum militẽ à Vicecomite Lemovicẽſi, ad quẽ confugerat pro ſecuritate, repetebat. Sed dum ille renueret, in prædicto caſtro illũ obſedit. Cumq; die noctuq; caſtrũ illud fortiter impugnaret, ſagitta percuſſus, poſt paucos dies moritur, atque apud fontem Ebrodi ſepelitur. Et quia liberos non habebat, frater ſuus Joannes, dictus ſine terra, ſucceſſit ei in regno. Et paulò poſt factæ ſunt treugæ inter illum & reg. Franciæ, ſecuta pace. *Jo. Nauel. Chron. vol.2. Gen. ao. a.1298.* F

Huic non abſimile refert *Greg. Tur. l.1. de Glor. Mart. c.109.* acciditſſe in Gallis: Mulier quædã, inquit, ſub ſpecie religionis vacabat jejuniis, orationibus inſiſtebat, vigilabat pertinacitet ac loca ſancta devotione ſimulata circuibat aſſiduè. Cumque in hoc colore juſtæ vitæ duraret, immenſas opes à multis ſuſcipiebat, congregabat aurũ quotidiè, & quod devotio Chriſtiana pro redimendis portigebat captivis, loculis addebatur occultis, & quæ dabantur inopum neceſſitatibus profutura, iniquis marſupiis condebantur: nam effoſſa mulier humo in medio cellulæ ollam immenſam impoſuit: ibique, cũ aliquid datũ fuiſſet, recondebat diligẽter, & lapide ſuperpoſito claudens, ut nulli pateret occultũ. O terque quaterque, & obiter execranda cupiditas, quæ luce fraudans, homines demergis in tenebras! Quid plura? Cũ olla impleta fuiſſet nummis, huic mulieri tempus reſolutionis advenit. Mortua verò Deo migrans, in inferno ſepulta eſt, poſt cujus exequias ſacerdotes, qui aderant, puellã ejus familiarem interrogant, quid de tanta feciſſet pecunia, aut ſi eã erogandã tẽporis ſui permiſit ſpatiũ. At illa reſpondit, nunquã ſe vidiſſe, quæ illi inopũ manu miſericordiæ porrexiſſet: aut quò pecunia data deveniſſet, igno-G rare ſe confitetur. Unũ tantũ ſcio, ait, quòd in cellula deportatum, regreſſum foras ultra non vidi. Hæc audientes clerici ſtupent, & quid ex hoc factũ fuiſſet, diligẽter inquirunt, totũque crebris ictibus pavimentũ tũdẽtibus, locus, in quo occulta jacebat pecunia, tinnitum dedit impulſus, cavoq; reſonans prodit, quæ latebant: & ſtatim remoto lapide inventur auri congeries: & clerici ſtupentes tantæ fubulitatis perverſitatẽ, Epiſcopo, quid actũ fuerat, indicãt. Ille verò commotus, juſſit reſerato ſepulchro pecuniã ſuper corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi, quæ congregaſti: pauperibus verò Chriſti non deerit, unde ſuſtententur. Nec mora: cũ prima quies nocturno tempore data fuiſſet, audiuntur voces à tumulo, fletus & ululatus immenſus: inter quas voces hoc maximè reſonabat, ſe miſerã, ſe infelicẽ, quæ auri cõſumebatur incendio. Denique, cum per triduũ hę voces adveniente nocte reſonarẽt, populis non durantibus, ad ſacerdotẽ venitur. At ille accedens jubet tumuli opertorium amoveri: ſubmotoque videt aurum quaſi in fornace reſolutum, in os mulieris ingredi cum flamma ſulphurea. Tunc ſacerdos oravit ad Dominum, ut quia malitia ejus populis fuerat declarata, tandem Dominus pœ-H nam juberet ceſſare à corpore, & operto tumulo diſceſſit, voceſque mulieris amplius non ſunt auditæ.

Hic mimimè ſilẽtũ, quod cuidã contigit, qui per adulterina lucra ſtudiut multiplicare teſtrena, de quo ſic *Greg.* Quidam apud Lugdunenſẽ urbẽ vix ita laborans, ut unũ triẽtẽ poſſet habere, accenſus auri execrabilis ſacra fame, voluit per eum ſacculi ora replere, juxta illum Prudentii noſtri verſiculum:

Auri namque fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triẽte vinũ comparat, admixtiq; aquis iterũ per argẽteos venũdãs duplicat pecuniã. Hoc iterũ, atq; iterũ agit, & tãdiu turpi lucri ſecutor eſt factus, uſquequò centũ ſolidos de hoc triente lucraretur: ſed judiciũ Dei cõfutavit lucra diaboli. Cõgerens. n. avarus negotiator aurũ in facculũ, poſſeſſurus pecuniã unius horæ momento, alterius negotiatoris nũdinas aditq; extractoq; triẽte, quaſi aliquid negotiaturus, colloqui cũ ſocio cœpit. Erat autẽ ſacculus ex pelle phœnicia, ſicut his manibus geſtare mos eſt. Et ecce ſub. advenies Milvus rapit eũ pedib. atq; decerpere tẽtat, putãs à colore partẽ aliquã carnis eſſe. Sed cũ nihil pinguedinis sẽtiret in eo, evolãs ſuper alveum

A alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miſcuerat, laxatum ſacculum dejicit in flumen. At ille apprehenſis capillis elidens ad terram, ſpargenſque pulverem ſuper caput ajebat: Væ mihi, qui judicio Dei oppreſſus, perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi ſolidos. Nunc perditis centum ſolidis, unum tantùm mihi remanſit triens. Væ mihi, ſicut feci, ſic recepi: & qui nihilo eos habui, ad nihilum rediiſſe conſpicio. Talis pecunia diabole tua eſt, per tale lucrum deduxiſti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium & in præſenti damni notam ingerit, & in futuro diverſarum pœnarum genera parit. *Idem ibid. de Glor. confeſſ. c.109.*

Michael ab Iſſelt refert (*l.1. Mercurii Gallo-belgici*) panes ſecundarios à quodam tenaciſſimo Euclione propè Rodopolin fumo immiſſos, palaque rurſum extractos, ſanguinem miraculosè lachrymaſſe, & paulatim in cineres reſolutos fuiſſe. An. 1588.

Juſtiniano minori (vel Juſtino) Imp. ut etiam paulò ante dictum eſt, tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas ciſtaſ-
B que ferreas juberet fieri, & in palatio poni, in quibus ea quæcunque rapiebat auri talenta congregaret: ideò improviſò cum morbi ſignum nullum proceſſiſſet, amiſſo rationis intellectu amens effectus eſt. Atque hæc imperatoris inſania erat tanta, ut unus idemque dies & vitam & amentiam tandem finiverit. Nam morbos quos principibus Deus immittit, non ex humorum intemperie, ſed ex morum prava vitate ortos, nec medicus ullus curare, nec medicamentum ullum tollere poteſt. *Paul. Diac.*

Avarus quiſpiam pecuniæ amantiſſimus, poſtquam plurimas divitias congregaſſet, de iis nihil pauperibus unquam diſperſiſſet, aut aliis pietatis officiis impendiſſet, ſubita morte raptus eſt. Cadavere autem ejus à parentibus & amicis præſentibus aperto, ut ab iis deſpiceretur, quænam tam repentinæ mortis cauſa fuiſſet, cor in eo non fuit inventum. Unde admiratione rapti ſinguli adjerunt ad mortui cubiculum, ubi theſaurus ejus erat: atque ciſta aperta, cor hominis inveniunt inter manus dæmonis, qui inſtar draconis ſuper hoc ſedebat, ac in varias partes diſcerpebat: dixitque aſtantibus: Hoc aurum & argentum pretium eſt cordis,
C quod mihi vendidit amicus veſter; ideòque jure meum eſt, eoque pro arbitrio uti poſſum. *Gabriel Incino Con. Lat. Ecc. ſerm. 1. de puritate cordis ex Proſp. l.3. de dono tim.*

Cum aliquando *B. Ambr.* Romam proficiſceretur, atque in Hetruria à Prædivite fuiſſet hoſpitio exceptus, jactabat ille divitias, familiam, filios, ac proſpera omnia, nihilque ſibi accidiſſe infœliciter. Id animadvertens Ambroſius, diſceſſum accelerandum inſtituit, quòd tanta proſperatorum rerum affluentia exitum longè infeliciſſimum habitura foret. Hortatus igitur ſuos eſt, inde mox omnes ſecum abſcederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus, mox hoſpes cum reliqua familia, domoque omni hiatu patente abſorpti ſunt. *D. Antonin. 2.p. Chr. tit. 10. c.7. §.2. Marc. Marul. l.5. c.3. Bonſignor. Cacciaguerra lib. de tribul. c.4.*

☞ *Pete nonnulla ex ſuperiori Tit. Avaritiæ fructus. Item multa ex profeſſo ex loco de Pœna & Punitione.*

HIEROGLYPHICUM.

Sunt, qui per *manus & brachia* Hieroglyphicè avaritiam deſignent, atque interpretamentum hujuſmodi ex carmine
D Theocritiano mutuentur:

Νεύνηται δ' ὑπὸ πορφύρεον, τᾶς ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχων.

Neque deſunt qui manum tantum ſimiltram digitis compreſſis, pro tenacitate & avaritia pingant. Nam & conjectores lævam lucri & augendæ rei ſignum ponunt, quippè quæ ad cuſtodiendum magis idonea ſit, ut potè ſegnior, & tenacitati accommodatior. *Pier. Valer. l.35.*

Auctoritas, ſive Authoritas.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

AUctoritas, vel ut alii Authoritas, utrovis enim modo ſcribitur, priori, ut deducitur ab Augeo, poſteriori verò, ut venit à Græco αὐτεργὸς; eſt eminentia quædam, vitæ probitate, ſcientia, meritis, potentia, honore, aliuſque rebus laudabilibus comparata, quæ facit, ut dictis alicujus factiſque plurimùm deferamus. Dicitur Græcè τὸ κῦρος ἢ πολιτεία, τὸ ἀξίωματικὸν, Hebraicè *lecholeth*, à *lachol*, potuit, prævaluit. Hinc Authorem ſive Auctorem dicimus, quaſi operis cujuſpiam factorem. *Valla. l.4. c.32. & l.5. c.30.* Non ſolùm qui opus facit, inquit, ſed qui princeps eſt, & primus jubet, ut aliquid fiat, aut inductor ſuaſorque, Author
E appellatur. Is etiam, in quo eſt jus, poteſtas, dignitas, nec ab alio pendet, Author dici poteſt, à quo & Authoritatis nomen deſcendit, quo frequenter utuntur Scriptores.

Inducitur apud *Euripid.* Hecuba ita loquens ad Ulyſſem:

Τὸ δ' ἀξίωμα, δ' κἂν κακὸς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει μᾶλλον, ἢ ἐκ' ἀδόξων ἐῶν,
Κ' ἐὰν σὺ δοκῶν αὐτὸς, ἃ ταυτὸν ἔχεις. id eſt,
Authoritas vero, & ſi male dicas, tua
Perſuadebit. Nam ab inexiſtimatis proficiſcens oratio,
Et ab exiſtimatis eadem haud quaquam tantum valet.

AUCTORITAS, EXISTIMATIO. HONOR auctoritatem conſequens.

AUTHORITATIS EFFECTUS & vis.

* EXEMPLA, ET VETERUM APOPHTHEGMATA.

Pericles à populo frequenter vocatus, δοὺναι τὸ ἄμα, inquit, ſentiens, ſe non eſſe cogendum in ordinem, nec pro quolibet è media plebe habendum. *Plut. in Grec. Apoph.*

Idem cum in comitiis accuſaretur ob res malè geſtas, graviter reſpondit, ſcilicet: Mihi quidem vos iraſcimini, ei viro, qui nemini veſtrum cedo vel peritia rerum, vel elo- F cutione intellectorum, vel amore patriæ, vel pecuniæ deſpicientia. Non crimen modò arrogantiæ, varietatis, ambitionis effugit tunc magnificè de ſe loquendo, ſed & altitudinem animi, & virtutis declaravit magnitudinem, eo ipſo invidiam opprimentis, quòd dejici & fragi non eſt paſſa. *Plut. lib. Quæ ratione quis citra invidiam ſe ipſum laudare poſſit.*

Pelopidam à principibus Reipub. accuſatum, quòd exacto Bœotarchiæ tempore non ſtatim domum rediiſſet, ſed bellum feliciter continuaſſet, ſubmittentem ſe & deprecantem Thebani ægrè abſolverunt. At contra *Epaminondam*, qui ejus tum fuerat collega, multa de rebus ſuis geſtis magnificè prædicantem, ac dicentem, Paratus ſum mori, ſi fateri velitis, ò cives, me vobis invitis Laconiam vaſtaſſe, Meſſenem inſtaurãſſe, & Arcades in unum corpus conduxiſſe: non ſuſtinuerunt iiſdem ire in ſuffragia, ſed admiratione viri gaudio ſimul riſuque oborto diſceſſerunt. *Plut. eod. lib.*

Romani ægrè tulerunt Ciceronem crebrò res ſuas contra Catilinam geſtas prædicantem: iiſdem tamen Scipionem dicentem; Non deberis vos ſententiam de Scipione ferre, G qui vobis poteſtatem decernendi de omnibus hominibus paravit: coronati in Capitolium deduxerunt, ſacrificique ejus interfuerunt? *Plut.*

Lycurgus *Athenienſis*, quum ei publicè exprobaretur, quòd argento dato calumniatorem placaſſet: Qualis tandem, inquit, vobis videor civis, qui apud vos tanto tempore rem gerens publicam, dare potuis quàm accipere injuſtè deprehenſus ſum. *Plut.*

M. Scaurus, pro roſtris accuſatus, quòd à Rege Mithridate ad prodendam Remp. pecuniam accepiſſet, ita cauſam egit: Iniquum eſt, Quirites, inter alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos interrogare. Varius Sucronenſis ait, M. Æmilium Scaurum mercede corruptum, populum proditſſe: M. Æmilius Scaurus huic culpæ ſe affinem eſſe negat: utri creditis? Nominato tantum auctore & reo, populus accuſationem repulit. *Eraſm. l.6. apoph. ex Plin. cap.12. de viris illuſtrab.*

Cato *Uticenſis* in forum veniens cum Thermo, ac conſpicatus Caſtoris templum armatis occupatum, omneſque fori aditus à gladiatoribus obſideri, ipſumque Metellum unà H cum Cæſare: O timidum, inquit, hominem, qui adverſus unum tantam armavit multitudinem. *Plut. in ejus vita.*

Auguſtus indignè ferebat, aliquid de ſe componi, niſi ſeriò & à præſtantiſſimis: admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus minorum, aut hiſtrionum obſolefieri: hac quidem in parte Alexandrum M. referens. Decet enim ubique principis authoritatem ſartam tectam præſtare. *Eraſm. l.4. apoph. ex Suet.*

Idem, cum juvenes nobiles, ac dignitate claros tumultuantes vellet compeſcere, nec auſcultarent illi, ſed tumultuari pergerent: Audite, inquit, juvenes ſenem, quem juvenem ſenes audierunt: Auguſtus enim adoleſcens ad Remp. admotus eſt, ſummaque fuit authoritate: hac ſola voce illos coercuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultum exegit. *Plut. Rom. Apoph.*

Cic. Metello objicienti, Plures ipſo teſtimonium contra eos dicente damnatos, q iàm defendente abſolutos eſſe: Quis verò, inquit, non hoc dicit, plus in me fidei eſſe, quàm eloquentiæ? *Plut.*